

JACOBUS ANDROUETIUS DU CERCEAU  
LECTORIBUS. S.

QUONIAM APUD VETERES ALIO STRUCTURÆ GENERE TEMPLA FUERUNT ÆDIFICATA, QUAM EA QUÆ NOSTRA ÆTATE PASSIM CONSPICIUNTUR, NON INJUCUNDUM FORE STUDIO SIS ANTIQUITATIS, NEC A MEO INSTITUTO ALIENUM EXISTIMAVI, SI FORMAM IPSAM ET TANQUAM FACIEM ILLORUM VIDENDAM QUIBUSLIBET EXHIBEREM, UT SIT IN PROMPTU CONSTRUCTIONIS UTRIUSQUE DISCRIMEN. ITAQUE NACTUS ALIQUOT TEMPLORUM ANTIQUO MORE CONSTRUCTORUM EXEMPLARIA, QUAM FIDELISSIME VOBIS AD VERUM EXPRESSI, AC SEORSIM IN HUNC LIBRUM RETULI, QUIBUS ACCESSERUNT ETIAM ALIA LIBERO MARTE, NULLOQUE EXEMPLO DESCRIPTA. QUÆNAM AUTEM EX VETERUM MONUMENTIS SUMP TA SINT, SUA CUJUSQUE DOCET INSCRIPTIO. SUPERIORIBUS QUIDEM LIBRIS A NOSTRA PRODITIS OFFICINA TRES AUT QUATUOR HUIUS GENERIS ÆDIFICIORUM FORMAS EMISERAM NONNULLIS ARCUBUS ET PYRAMIDIBUS ADMIXTAS. SED OPERA, QUÆ POSTHAC EX OFFICINA NOSTRA PRODIBUNT, ITA DIGERE CONSTITUI, UT SUUS CUIQUE SPECIEI STRUCTURARUM CERTUS ET PROPIUS LIBER TRIBUATUR (QUOD ETIAM DE ARCUBUS JAM PRÆSTITI) ALIOQUE LIBRO SOLA TEMP<L>A, ALIO SOLA SEPULCHRA, ALIO SOLI FONTES, ALIO SOLI CARMINI, ALIO SOLÆ ARCES, PA<L>ATIA, REGIÆ, RELIQUAQUE HUIUSMODI CONTINEANTUR. VALETE, ET LABOREM NOSTRUM, UT FACITIS, BONI CONSULITE.

AURELIÆ, 1550.